



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Sortes, Qvibvs, Ne Temere Cadant, Temperandis; Vel, Si
Temere Dvcvntvr, Castigandis, Divini Ivdicii Æqvitas
Semper Adest**

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1645

§. 10. Ius sæpe orari, contra potentes, & exorari, ad certa tempora, & temporum momenta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52306](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52306)

Roman.
histor.
Vide
Martinū
Delr. lib.
4. Dis-
quisit. c.
4. q. 4.
sec. 1.

quem appellem; ad iustum iudicem Christum, qui nos redemit, appello, ut ante eius tribunal, intra annum & diem, vos sistatis, ubi causam meam exponam. Intra id tempus, vterq; præmatura morte abreptus in diuinum ius ambulauit. Et Clemens quidem repente mortuus est, Philippus autem, non multò post, habuisse etiam se mortem in procinctu, sensit. Neque calculus temporis huic historiæ obstat, cui Meierus, Christianus Massæus, & alij consentiunt, qui Papam & regem eodem Anno 1314, tradunt obiisse, illum 20. April. hunc 29. Nouembris. Nimirum non vanè, per Isaiam, dixit maximus iudex: *Hos, qui iudicauerunt te, ego iudicabo.*

Isa. 49.
25.

§. X.

Ius saepe orari, contra potentes, & exorari, ad certa tempora, & temporum momenta.

Psal. 2. 10.

Hinc discite, & nunc, reges, intelligite: erudimini, qui iudicatis terram. Subijciuntur vobis etiam innocentes; si eos opprimitis, si iniustè iudicatis; habent alium iudicem, ad quem appellent, cui vestra & illorum vita, iuxta est. Itaque id, quod iustum est, iudicate; neque sperate, iudicium de vobis diu procrastinandum; aut mortem adhuc mul-

Iob. 6. 29.

multum distare. Deus voluntatem timentium se facit, & exaudit orantes: secundum multitudinem impietatem eorum expelle eos: quoniam irritauerunt te, Domine. Expellendi sunt è vita, nec digni, quos terra portet, qui tanta iniquitate eam contaminant impiantque, & Dominum irritant. Parcite cachinnis; seria nimis res est. Agit Deus causam suorum. Nec moras vobis promittite; in foribus est vindicta; adeò vt supremus arbiter etiam annum, etiam mensem, etiam horam sibi, de iudicio exercendo, præscribi sinat. Quid vos ipsos decipitis? eadem sæpissime sunt citantis & citati momenta. De Ioanne Turfone, in Gothia iudicium iniquum administrante, Olaus ita scribit: *Quendam capite plecti iusserat. Is genibus innixus; en morior iniuste, inquit, teq; voco, hac hora, ante tribunal Dei, vt respondeas, cur me innocentem morti condemnes. Vix autem miser carnificis manu obtruncatus fuerat, cum etiam index de equo corruit exanimis. Quàm verè Siracides dixit: Deprecatio pauperis, ex ore, vsq; ad aures Dei perueniet, & iudicium festinatò adueniet illi: si illi, ergo & aduersario illius. Vnum enim est iudicium rei & actoris.*

Psal. 144^o

19.

Psal. 5.

12.

Olaus l.

14. histori

Aquilon.

c. 20.

Eceli. 21.

6.